



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

142. De S. Ingelmundo Kenemariorum Apostolo. De B. Adulpho.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

De S. Ingelundo Kenemariorum Apostolo.
De Beato Adulpho.

Inter Apostolicos Frisiz viros nume-
ratur S. Ingelundus quem com-
memorat Chronicon Hollandie di-
uisione 3. cap. 11. Hic Anglus de stir-
pe Frisonica cum esset Presbyter &
Abbas, temporibus B. Willibrordi di-
uino instinctu venit ad fines Hollan-
diæ, vbi ferocibus & indomitis Kene-
marijs verbum salutis prædicauit. Quo anno adtulerit,
omnino est incompertum. cum autem ante ipsum Kene-
marijs Euangelizauerit S. Adelbertus missus eo post pri-
mam Synodum Traiectensem peractam, & non legatur
aut aliquis Ingelundus adfuisse, posset colligi non
improbabiliter eum post mortem Adelberti aduenisse, at-
que ei in Apostolatum Kenemariorum quodammodo suc-
cessisse. Scribitur etiam Euangelium annuntiasse Frisia-
bonibus, quos aliqui Waterlandios interpretantur. Cer-
te secundum Plinium populi sunt inter Helium & Fleuū
Rheni ostia. Quot annis in Frisia prædicauerit, etiam la-
tet. Inter miracula, quæ viuus patrauit, eminet quod
siccitate laborantibus Frisijs, in colle alto arenoso aquam
suis precibus eduxerit. Quo mortis genere obierit, va-
riatur. Chronicon vulgatum Hollandiæ refert illum af-
fectum Martyrio à Rege Radbodo, verum, vt ait rectè
Molanus, Chronicon illud hunc Ingelundum Confesso-
rem cum Wicherto Martyre in Fostilandia ab eodem Re-
ge occiso confundit. Vnde verius ex historia Velsana
asserit

Z z z

asserit

asserit post multos labores febri correptum animam creatori reddidisse. & honorificam sepulturam accepisse in vico Velsen, qui vicus non longè distat ab Harlemo. Corpus eius multis annis in sepulchro incognitum quieuit donec Baldricus Antistes Ultraiectensis diuina reuelatione admonitus illud inueniens & eleuans publico honore donauit. Numeratur is Baldricus 15. Episcopus Ultraiectensis cui Deus singularem gratiam inueniendi corpora Sanctorum impertiuit: nam teste Heda diuina etiam reuelatione inuenit corpora SS. Lebuini, Werenfridi, Plechelmi, Wironis, Otgeri, Odulphi & Radbodi, quibus Ecclesiam suam adornauit. sub eo etiam reuelatum est corpus diui Ieronis Presbyteri & Martyris in vico Nortwico Hollandiæ. Rexit per annos 56. quibus tam urbem, quam Ecclesiam Traiectensem mirifice instaurauit & ampliavit. Nonagenarius cœlos petijt anno 977. Furente Hagiomachia per Hollandiam reliquiæ S. Ingelmundi à Guesijs per pauimentum templi sunt dispersæ, sed à custode collectæ & in tuto loco conseruatæ, tandem in vicinum oppidum Harlemum sunt transportatæ.

De Adulpho.

SANCTUS Willibrordus in latissima Frisiæ Diocesi Coepiscopis & alijs cooperatoribus præsertim in senectute vsus est. Hisce an Adulphus frater S. Botulphi Abbatis in Anglia sit adnumerandus, meritò dubitatur. Molanus 17. Iunij postquam amborum acta descripsisset, subdit: *Quamuis in catalogo Traiectensium Episcoporum*

Episcoporum non legatur, verisimile tamen est eum sub S. Willibrordo claruisse inter Traiectenses Coepiscopos aut paulo ante à Rege aliquo Francorum Traiectensibus destinatum fuisse Episcopum. Mihi verisimilius est eum S. Willibrordi Coepiscopum non fuisse donatum, primò, quod floruerit cum fratre anno 650. prout ex Anglicanis centurijs refert etiam ibidem Molanus & conforme est N. Harpsfeldio qui cap. 24. eum cum fratre Botulpho reponit sæculo septimo in cuius fine S. Willibrordus Episcopus creatus Coepiscopum non habuit nisi S. Swibertum. Secundò, quod nulla mentio eius fiat apud Becanum, Hedam aliosque Frisic, imo Belgij antiquiores Scriptores. Tertiò, quod numquam legatur egisse in Frisia, sed inter antiquos Saxones qui sunt Westphali, vel in Gallia Belgica. Vnde magis libet suspicari Regem aliquem Francorum eum donasse Episcopatu Traiecti ad Mosam. Quod autem in Catalogo Traiectensium ad Mosam Episcoporum (sicut nec in Catalogo Episcoporum Traiect. ad Rhenum) non legatur, fieri potuit vel quod Coepiscopum ibi paruo tempore egerit, aut quod donatione Regis recusatâ in Angliam ex qua venerat redierit, vbi post peractam in magna sanctitate vitam supremum diem nactus est. Certiora ideo possent nobis depromere Angli qui particulatim Botulphi & Adulphi fratrum vitas descripserunt, inter quos numerat Harpsfeldius Fulchardum Monachum Coenobij Thunrensis vbi pars reliquiarum ipsorum quieuit. Lege N. Harpsfeldium sæculo 7. cap. 24 & Molanum loco citato. Vide etiam quæ differuimus præludio 2.